DE

VARIORUM VENTRICULI MORBORUM DIAGNOSI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXXI. M. MARTII A. MDCCCXLVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JACOBUS COHN

RIGENSIS.

OPPONENTIBUS:

L. A. HEINSS, MED. ET CHIR. DR.

R. FELSCH, MED. ET CHIR. CAND.

O. KESSLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI

TYPIS GUSTAVI SCHADE.

VIRO

NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, HUMANISSIMO

A. DE HAXTHAUSEN

REGIS A CONSILIIS CIVITATIS REGUNDAE INTIMIS, EQUITI ETC.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Mori antiquo dissertationem edendi, ut summos in medicina et chirurgia capessam honores, satisfacturus, diu quum haesitassem, ex pathologia morborum ventriculi, quos mihimet ipsi videre et tractare in scholis clinicis contigerat, describendam mihi elegi diagnosim. Nulla enim est vitae aetas nec conditio, in quibus varia ventriculo non immineant pericula. Quod organon, arctissime cum universis fere corporis partibus conjunctum, centrum quodammodo evadit sympathiarum, atque remotarum etiam partium affectiones in eodem adeo reflectuntur, ut fiat fons morborum uberrimus. Haec vero affectuum frequentia ac varietas illos bene discernendi gignunt

necessitatem. Operae igitur pretium facturus mihi visus sum, si de hac materie verba facerem. Quare de his morbis auctorum, quorum opera mihi aderant, sententiis perlectis, quaecunque mentione digna videbantur collegi iisque, quae ex morborum intuitu didiceram, adjeci. Te autem, lector benevole, quum vires meas admodúm exiguas optime sentiam, maximò opere rogo, mihi ut indulgeas bonamque voluntatem aequi bonique facias. Vale.

I. GASTRITIS.

Broussais Gastritidem semper simul cum intestini tenuis inflammatione occurrere, ideoque Gastroenteritidem esse nominandam putat. Multos autem se vidisse casus, in quibus ventriculus solum fuerit inflammatus, Andral et Stokes contendunt. Morbum acutum in calidissimis etiam regionibus Annesley[1]), „simplicem" nonnisi perraro observavit, neque Abercrombie se nunquam gastritidis simplicis ullum observasse casum negat. Ad rem sane nihil interest, utrum sit gastritis serosa, an mucosa; Duodenitis, an Epiploitis, nisi ignoramus inflammationem omnino adesse, quam ob causam curam instituendam esse antiphlogisticam. Majoris autem momenti est diagnosis inter gastritidem et cardialgiam, gastricismum, choleram etc.

---

[1]) Ueber Entzündung und organ. Verletz. des Magens, in d. Samml. auserles. Abh. T. 35. p. 551.

Ventriculi inflammationem haec indicant symptomata: regionem epigastriam dolores summa violentia urendi vel pungendi sensu afficiunt, tum majore vel minore gradu aegrum vexantes, de columna praecipue vertebrali et lateribus ad regionem epigastriam diffunduntur. Atque cibo vel levissimo assumpto, ut in stomachum pervenerit, spiritu ducendo et abdomine pressione quadam affecto, quae vel lectuli efficitur tegumento, corpore denique ructu, tussi, sternutatione, situs mutatione commoto ita augentur, ut aeger eos vix amplius tolerare possit.

Crescit paullatim stomachi irritabilitas, neque nausea, ructus, vomitus, cui dolor adjungitur, deficit, neque angores urendi sensu aegrotum distrahentes desiderantur, quae omnia alimentis blandissimis adeo accidere solent captis. Cibi deinde in stomachum demissi aut soli, aut cum bile coloris viridis conjuncti, vomitu ejiciuntur.

Inde vero initium capere solet inflammatio, quod frigoris sensu majoris corripitur aeger, cui calor succedit violentior praecipue in corporis partibus internis. Quodsi gastritis genuina exstiterit, febrem acutam prodire cernimus. Ad umbilicum usque abdomen tensum calidumque percipitur, dum aegrum siti vehementissima vexatum atque scrobiculi cordis angustiis oppressum quam maxime inquietum conspicimus. Qua ratione morbo adulto vomitus sese

auxerit, eadem alvi dejectio minuitur ac denique cessat. Febris si initio defuerit, accedit, sin exstiterit, violentior procedit. Pulsus, id quod visceribus omnibus fieri solet inflammatis, exiguus, celer inaequalis, saepius intermittitur, interdum vero major fit ac durior. Increscente malo, insomnia aegrique conditio accedit maxime inquieta; siti vehementissima os siccitate laborat haud exigua. Aegroti non multam urinam emittunt, spiritum breviter et celerrime ducunt, potusque demissione spasmum sustinente afficiuntur hydrophobia.

In regione epigastria ad summum gradum dolores evehuntur, quibus sensus oritur singularis, unde scapulae detrahi videntur. Dolorifica in praecordiis pulsatione excruciatur aegrotus. Turgor vitalis, quum e facie evanescat, lineamenta patefacit hippocratica. Inter singultum dolorificum extremitates refrigerantur, viribusque omnino decrescentibus talis organismi existit imbecillitas, qualem in ceteris inflammationibus raro cernimus. Cutis livet, os male olet, deliria, spasmi, animi deliquia oculique considentes animadvertuntur.

Quo si inflammatio accesserit, lethalem morbi exitum in gangraenam plerumque reperimus. In ventriculi regione omnes tunc remittuntur dolores et abdomen admodum intumescit, dum aegrotus mentem sanam semper servat. Corpus tangitur

frigore obductum ac sudore tegitur viscido tenacique.

Supervenit denique inter syncopen corporisque convulsiones cita mors.

At ventriculi inflammationis diagnosis haud raro adhuc incerta est, ita ut Gastritidem adesse tantum suspicari liceat. Quibus in inflammatione externa cognoscenda signis ducimur, si internam discernere velimus, ea deficiunt; ventriculi tantum functiones omnino disturbatas esse animadvertimus. Quantus vero est morborum numerus, qui per consensum ventriculum afficientes Gastritidis speciem prae se ferunt! Accedit, ut ventriculus diversos situs obtinere possit; ut, si inflammationis symptomata non manifesto in oculos incidant, ex aliis corporis conditionibus causam repetendam esse conjicere possimus. Quodsi Gastritis cum ceteris morbis confunditur, res non tam exigui est momenti, quam in aliis processibus inflammatoriis nonnunquam esse concedamus, quoniam Gastritide praesente in stomachum plura non sunt immittenda, quae in aliis aptissime adhibeantur.

Summi momenti symptoma, quod si cum cetero corporis statu morboso contuleris, hanc inflammationem aegrotos infestare indicat certissime, *dolor* est vehementissimus, cibis sumtis semper exoriens *vomitumque* statim excitans. Si partes ventriculo

vicinae inflammatione affectae sunt, signa discrepare necesse est.

Qui sequuntur morbi ventriculi cum inflammatione facile permutantur.

1. *Gastralgia*, quae si cum inflammatione confunditur, summum aegro affert detrimentum, haec ostendit symptomata: dolores *nervosos* vel spasticos, latius diffusos, contrahentes, acutos colicaeque more ab uno serpentes loco ad alterum. Cui dolori propria est vicissitudo *paroxysmi* et remissionis completae, quae saepe mirum in modum discrepat, vehementissimus enim dolor tam subito, quam eruperit, rursus ingruit. Neque in intervallis regione epigastria[1]) pressa dolores percipiuntur, et in ipsis paroxysmis etiam aeger nonnunquam allevatur, epigastrium si premit, aut rei solidae obnititur. Potu calido affectio minuitur et nervosi ventriculi dolores cibis, tincturis spirituosis aliisque assumtis maxima ex parte decrescere solent. Gastrospasmi impetui favent animi pathemata, isque horis matutinis, ventriculo adhuc jejuno, subvenire amat. Inter dolores ventriculi regionem versus columnam vertebralem in intervallis reductam, omni extensione carentem

---

[1]) Berends (Vorles. T. III, 290.) magnam vim in diagnosi vindicat doloris *loco*; in Cardialgia enim dolorem scrobiculum cordis, in Gastritide epigastrium totum occupare affirmat.

conspicimus. Dum in Gastritide, praesertim quum cibus potusque sumantur, provocatur vomitus, qui non levamini, sed dolori potius est aegro, in Cardialgia vomitus, ceterum haud semper obvius, dolores spasmodicos, acerbissimos insequitur. Massa vomitu ejecta ex aqua tepida saporis acidi, vel muco constat. Gastralgia laborantes linguis puris, humidis, rubore non obtectis, papillisque nudis instructi, bulimia interdum ac pica quadam cruciantur. Potum praeferunt calidum, sitim exiguam sentiunt vel nullam. Febris omnino deest, pulsus nequaquam acceleratus, variabilis vero, inter paroxysmos justo minor, vix sentiri potest; postea quidem plenus evadit atque evolutus. Cutis calor non auctus, urina pallida, spasmodica sic dicta. Paroxysmi tempore palpitationibus, angore, agitatione affligitur aeger, quae invasione finita omnia mox cessant.

Eodem modo Gastritidis factores causales ab illis Gastralgiae valde abhorrent; illam enim causis traumaticis, venenis acribus (corrosivis), fortium excitantium remediorum spirituosorumque abusu, edendi bibendique excessu, plethora denique produci atque sustentari, hanc vero indoli nervosae, animi affectui, hysteriasi, hypochondriasi, anaemiae, graviditati, leucorrhoeae et sanguinis jacturae originem suam debere scimus.

Ex rebus juvantibus et nocentibus denique utriusque status morbosi distinctio non est ardua. Sic, verbi causa, tonicis, excitantibus adhibitis medicaminibus, alimentis irritantibus vel roborantibus aegri Gastritide affecti status redditur pejor; diaeta autem parca affectiones lenire solet. In Gastralgia contra ciborum abstinentia aeque ac res debilitantes maxime nocent, dum homo regimine nutriente melius se habet.

2. Inter *Gastricismum* et Gastritidem differentiam illustrare profecto non facilis est res; utrumque interdum malum non admodum a se abhorret, alter enim morbus in alterum transit. Secretio anomala membranae mucosae ventriculi sordesque collectae ex certo saepe etiam stasis gradu pendent, unde occasione data plastica telarum alteratio, i. e. inflammatio perfecta exoriri potest. Uterque status eadem fere, qua bronchiorum catarrhus et bronchitis, gaudet affinitate, quos si contuleris, haecce invenies *Gastrocismi* phaenomena propria. Lingua *muco crasso* tenacique obducta, os amarum, sapor alienatus, ructus gustu foetido cum copioso vomitu materiae non coctae, mucus ac bilis ejiciuntur aegrotique status allevatur. Deinde etiam sedes sese adjungunt serosae, foetidae, mucosae; color faciei subflavus et dolore capitis in regione *frontali* excellit morbus.

Quamvis in Gastritide quoque lingua sit obducta, non crasso tamen muco, et gustus admodum non alienatus. Vomitu pauca, plerumque cibos sumptos aeger reddit, neque postea melius se habet. Adest praeterea alvus obstructa; faciei autem color commutatus capitisque dolor desideratur. Gastricismus regionem epigastriam plenam, tumidam, sed premendo non sensibilem exhibet, dum in Gastritide stomachi locus est extensus et premendo profert dolores violentissimos. Febris *gastrica* conspicuis, interdum ab intermissione paullum discrepantibus remissionibus cum typo quotidiano vel tertiano excellit. Eodem saepe tempore aliarum membranarum mucosarum, ut narium, bronchiorum, vaginae etc. secretio aucta. Gastritidis vero febris *inflammatoria* est continua, cum secretionibus suppressis juncta. Ceterum hic status emeticis porrectis aggravescit, ille iisdem minuitur.

3. Cum *Cholera* Gastritis vix potest confundi. Adulta enim inflammatio, febris vehemens, arteriarum pulsuum indoles, nimius toto in corpore perfusus calor, ventris dolor acerbus, qui omni vel lenissima pressione augetur, alvus denique obstipata, sunt signa, quae bene sufficiant, ut hoc morbi genus, insuper nunquam epidemium, a *Cholera* possit distingui. Attamen gastritis sic dicta toxica s. venenata, quae secundum Schoenlein ab inflamma-

tionibus puris ad ventriculi neurophlogoses format transitum, ubi abdomen admodum extensum ac dolens, excreta gravioribus in casibus viridia, febris communisque irritationis status cernuntur, ad Choleram re vera propius accedit. Sed Cholera abdomine reducto, premendo non sensibili, excretis peculiaribus, biliosis, infuso oryzae similibus, febri nulla, summo torpore; naso, lingua cuteque frigida, urina denique suppressa dignoscitur atque surarum spasmo.

4. Si *vermes* infantes affligunt, Gastritidis speciem exhibent similiorem. Vomitus, jactatio, angores, dolores colici, somnolentia, deliria apparere possunt. Multi tamen sunt casus, in quibus helminthiasis nequaquam exstitit, sed ventriculi inflammatio [1]). Omnium quidem symptomatum connexum accuratissime tunc animo perpendas, abdomen inspicias atque tangas et aegri *sensationes* quam diligentissime observes [2]).

5. Interdum *hepate* inflammato ventriculus etiam afficitur, dolores veró ventriculi regionem ab initio excruciantes haud sentiuntur; vomitus neque dolo-

---

[1]) Hufeland's Annal. der französ. Litt. T. 2. p. 41.

[2]) Saillant, si res ita se habeat, ventriculi regionis solummodo sensibilitatem in premendo *acutissimam* discrimen in lucem proferre posse dicit.

rificus neque vehemens, pulsus magis exiguus et celerior. Hepatitidis vero symptomata non animadvertuntur, qualia dextri hypochondrii et humeri sunt dolores, phaenomena icterica faciei, oculorum, faecum, cutis, urinae, quod cum hepatis cava superficies inflammatione est correpta, praecipue conspicitur.

Ne tamen quidquam dubii supersit, afferam, hepatitidem acutam per se ipsam vel cum pleuritide dextrique pulmonis inflammatione complicatam calidiore praesertim anni tempore haud raro occurrere. Crebrius autem quam acutae hepatis affectiones, inflammato velamento hepatis *seroso*, in conspectum veniunt *chronicae*. Quales aegroti de stomachi *spasmo* quodam querentes, exploratione diligenti facta, lobi hepatis *sinistri* intumescentiam dolorificam mali causam offerunt. Qua in re disquisitio quam subtilissima eo magis videtur necessaria, quo facilius dolores in paroxysmis singulis provenientes et sub sternum et in extremitates superiores irradiantes efficiunt, ut illos affectus credamus *neuralgicos*. Si igitur errorem praecavere neque cum stomachi malo quodam confundere vis, videas, num adsit icterus, an certe toto in corpore *pruritus*.

6. *Splenitis* chronica cum Gastritide chronica facile permiscetur. Illud organon, parenchymate crassiore reddito inflammatione, maxime intumescit, unde ventriculus admodum premitur, distorquetur

functionesque ita laeduntur, ut quae etiam Gastritidi sunt propria symptomata patefiant. Neque tamen ulla invenitur ratio inter haec symptomata atque lienis inflammationem indicantia, qualia sunt: color chloroticus et atrobiliaris, vomitus cruentus, haemorrhagia ani, sapor in ore amarus acidusque et sitis defectus.

7. In *Peritonitide* dolores ab initio paullum sunt fixi et maxime diffusi; pulsus justo frequentior et alvi obstructio deesse solet. Vomitus omnium in ventriculum immissarum rerum nunquam tam intensus quam in Gastritide, characterem consensualem conspicue prae se fert. Majorem accipit malum cum Gastritide similitudinem, potissimum si vel solummodo fasciae musculorum rectorum abdominalium in regione epigastria inflammantur (peritonitis quae dicitur muscularis). Deprehenditur externe intumescentia plus minusve circumscripta, calida et dolens, quae se tangi non patitur. Quovis corporis motu dolores magnum in gradum accrescunt; vomitus aliaque ventriculi consensualiter irritati signa pro modo exigua sunt, aut plane absunt. Huc etiam pertinet a Sauvages sub Gastritidis sternocostalis nomine descriptus et musc. triangul. sterni inflammatio habitus morbus, quem mensibus anni 1760 aestivis in modum epidemiae fere grassatum esse dicunt.

Stokes Gastritidis complicationes duas comme-

morat, alteram vomitum cruentum, álteram delirium tremens. Occurrunt, inquit, haematemesis casus, qui nihil aliud nisi Gastritis sunt acuta, cum sanguinis ex membrana ventriculi mucosa excretione profusa conjuncta. Vomitus, qui frequenter cernitur cruentus, vario modo potest oriri, nunc menstruatione aut haemorrhoide suppressa, nunc vase quodam sanguifero rupto et interdum etiam mechanico circulationis impedimento. Sed haematemesis hoc loco afferenda Gastritide producitur atque hisce manifestatur symptomatis: aeger vomit sanguinem, accedunt febris, cutis candens, arteriarum pulsus excitati, sitis ardens, magnum potus frigidi desiderium et epigastrium premendo dolet. Gastritidis cum delirio trementi quandoque obvia complicatio rursus docet, symptomata *localia*, dum stomachi inflammati affectus consensuales praevaleant, ad unum omnia evanescere posse. Venter enim non dolet, rubore caret lingua, phaenomena omnia cerebrum esse affectum probant; nihilominus stomachus est inflammatus, quo sublato symptomata cerebralia etiam abeunt.

II. HAEMORRHAGIA VENTRICULI.

Sicut sanguis ex organis respiratoriis profluens, faucibus uvulaque irritatis, nauseam ac vomitum producere potest, ita sanguis quoque e ventriculo ejectus glottidem ad tussim concitat. Itaque hic et illic inter haemoptysim et haematemesim permutationi locus praebetur.

Sanguis si ex *oris* mucosa sese effuderit, aegrotus urendi sensu in ore et in uvula lacessitur, nullo vero in collo titillandi sensu. Sanguis non calidus, neque spumosus, neque rubicundus, sed plerumque nigricans et dissolutus non ejicitur tussis auxilio, sed facile negotio effluit, exspuitur. Tussis, nisi aeger in tergo cumbit, gigni non solet, ubi sanguis emissus epiglottidem irritat. Si aegrum os aqua tepida fovere jusseris, persaepe locum cruentum aperies. Nec vero congestionis versus caput symptomata, vertigo, carotidum ictus fortis, caput grave, susurrus aurium cet. sunt obliviscenda. Pari modo omnia pectoris correpti signa desunt.

Quod *epistaxim* attinet, ex choanis in fauces sanguis effundi potest, tussim excitare et tali modo haematemesim simulare. Alterum vero erroris genus

evadit, sanguis si in haemoptysi ad narium cava penetrat, aut si simul cum illa adest epistaxis. Quando e naribus solis provenit sanguis, sputum sanguinolentum deficit sanguinisque fluidum e naribus tantummodo effunditur. Ceterum ex accurata narium exploratione, anamnesi, symptomatis praegressis atque comitantibus facillime repetenda est diagnosis.

Vomitum cruentum ab haemoptysi statim dignosces, nisi neglexeris signa haecce. Haematemesim dolor, premendi in epigastrio hypochondriisque sensus, dyspepsia aliaque antecedunt et inter profluvium permanent. Quae pectoris indicent affectionem signa desunt. In haemoptysi autem pruritus in loco affecto sentitur aeque ac rhonchus crepitans auditur; in systemate chylopoëtico perturbatio nulla. Vomitum nausea vomituritioque, haemoptysim contra, dum spastice tollitur diaphragma, tussis annuntiat. Sanguis e ventriculo elapsus plerumque *niger*, globosus, coagulatur, non aëri, sed ventriculi contentis, cibis, muco, bili intime immixtus; fit etiam, ut male oleat. In faucibus aliquid sanguinis reperitur. Porro ejecti sanguinis massa major quam in pulmonum haemorrhagia esse solet; saepius quoque in femina, corporis constitutione atrabiliari, dyscrasica. Sanguis, qui ex viis respiratoriis originem ducit, *rubicundus, spumosus*, raro stomachi contento, et, ubi

fit, non tam intime commiscetur. Adest insuper habitus qui dicitur phthisicus vel constitutio sanguinea.

III. SCIRRHUS VENTRICULI.

In multis casibus scirrhus ventriculi a formis Gastritidis chronicae quibusdam distingui nequit. Iidem in utroque morbo dolores, eaedem affectiones dyspepticae, vomitus post coenam habitualis, massa vomitu ejecta nigra, infuso coffeae similis (quod scirrhi signum a nonnullis medicis creditur pathognomonicum), macies etc. Tantummodo si eodem tempore cum his signis *duritiem* aut *tumorem* in epigastrio vel in pylori regione sentimus, ventriculi scirrhum adesse concludere licet. Attamen haec distinctionis signa digna sunt, quae opponantur.

Omnia quae ceperint homines rursus ejiciunt, si cum degeneratione major etiam pylori exstiterit angustia. Ructus deinde male olet, spiritus vix ferendus, quod cibis proficiscitur nimis longum tempus in ventriculo morantibus. Vomitus certis periodis, horis post coenam duabus vel tribus, rarissime in intervallis oritur, et massa nigra. Ciborum appetentia plerumque magna, nisi aeger imminentem timeat

dolorem. Sitis minus quam in Gastritide augetur. Tangentibus etiam et percutientibus abdomen *indurationem* quandam resistentem, plus minusve circumscriptam percipere nobis licet. Livido facies cutisque obducuntur pallore, hecticae febris omnia accedunt phaenomena: insomnia, macies existunt, cutis sicca atque pedes oedematosi; tristitia et majore animus afficitur morositate. Interdum aut affuit, aut adest aliorum quoque organorum scirrhus. Experientia denique docemur, scirrhum homines potissimum aetatis provectioris invadere, juvenes rarissime.

1. Inter *Gastrelcosim* et ventriculi scirrhum diagnosis tantam praebet difficultatem, ut Andral eam constitui posse neget, quamdiu malum palpabili in regione epigastria intumescentia non eluceat. Interea phaenomena, quae rei cognoscendae serviant, haec afferam.

Non semper cibos sumptos insequitur vomitus [1]) neque tam diu post coenam quam in pylori scirrho; eo frequentiores autem sunt haematemesis sedesque cruentae. Atque in gastrelcosi ventriculum dilatatum frustra quaeris, nam si percusseris, eum legi-

---

[1]) Portal (Cours d'anat. T. V. p. 199) stomacho ulcerante *pus* evomi affirmat, et secundum Baillie et P. Frank ventriculi ulcerosi signum minime mendax est ructus foetidissimus.

time extensum invenies. Per plures annos malum continuatum exempla docent (Reil's Archiv T. 4. p. 365), praesertim quum vivendi ratione aeger utatur modica atque parca. Etiamsi macescit homo, universi tamen organismi affectio non est tanta, quanta in scirrho observatur. Gastrelcosis praeda homines fiunt aetatis juvenilis.

2. Superest etiam meminisse, stomachi perforationem ita ex inopinato irruere, ut intoxicationis suspicio moveatur. Cujus rei hoc exemplum de anno 1815. Laisné nobis tradidit: complures medici ac chirurgi peritissimi intoxicationem propterea crediderunt, quod hominis subito defuncti sectione facta ventriculum perforatum repererunt. Homines autem veneficii accusati Portalio, Aliberto, Chaussiero aliisque auctoribus, capitis mox sunt absoluti. Ejusmodi errores ut evitentur, haec adjuvant discrimina.

Dum in *Gastrobrosi* longum per tempus Gastritidis chronicae vel omnino stomachi affecti signa praegrediuntur, homo, antequam phaenomena intoxicationis apparuerint, valetudine gavisus est optima. Accedit, ut veneno sumpto aegrotus non semel vomat et, disquisitione physicali atque chemica instituta, materia ejecta reddat venenum. Sedes induunt dysenteriae indolem. Quae symptomata talia comitari solent, qualia veneno immisso in systemate

nervoso gignuntur. Gastrobrosi alvus obstructa associatur neque homo ad mortem usque mente captus existit. Ventriculi contentorum, foramine praesente, si copia magna in abdomen evadit eaque indole serosa, tunc in proclivis abdominis locis serum collectum percutiendo licet cognoscere. Subinde etiam, aegrotum si bibere jubeamus, tinnitum metallicum vel guttatorium quendam auscultantes audimus. Talia homo venenatus non ostendit phaenomena, ubi ceterum et oris et faucium cava oesophagusque veneno corrosivo apparent *laesa.*

IV. GASTROMALACIA.

Cujus morbi symptomata constantissima:

Mucosa, albis intermixta floccis, viridis *diarrhoea;* regio ventriculi intumescit, doloribus vero vacat; creber *vomitus.* Parvuli ineunte morbo valde inquieti sunt, interdum tussi pectorisque spiritu ducendo angoribus afficiuntur. Facies pallida, oculi considentes, clamor primum clarus lenis fit *ejulatus;* infantes ad abdomen pedes tollunt, celeriter marcent, in coma incidunt. Febris increscit, pulsus duriusculus et frequens, nunquam tardus; caput calidum, sitis permagna, quae (neque raro fit) sedari

omnino nequit. Cibi appetitus sublatus comaque adauctum est; in tergo denique infantes positi inter convulsiones emoriuntur.

Acuta morbi species trium dierum spatio morte finitur; chronica vero tribus vel quatuor hebdomadibus cessat.

Quae Gastromalacia ut ab *Hydrocephalo acuto* bene distinguatur, magni sane res est momenti, praesertim quum signorum existere soleat numerus haud exiguus, quae utrique morbo sunt propria: febris quidem, vomitus, jactatio, coma. Quorum stricta distinctio propterea evadit difficilior etiam, quod inter hos morbos, qui ex uno eodemque morboso processu interno pendere possint, multifaria combinationum atque alternationum genera obvenire haud raro intelligimus. Plerisque in casibus in eo res vertitur et interest, qualis organorum ordo, num stomachus, an cerebrum, ad reactionem phaenomenalem magis inclinet, ita quidem, ut morbus aut gastripathici, aut encephalopathici mali specie extrinsecus sese exhibeat.

Mentione tamen videntur digna distinctionis signa haecce:

Gastromalacia.

a) Vomitus peculiaris, pertinax aeque ac diarrhoea, cujus massae excretae odorem habent cadaverosum.

b) Respiratio accelerata, nec vero inaequalis.

c) Tactus vel lenissimus sufficit, ut pueri e somnolentia expergiscantur ac vociferentur; prae dolore pedes ad abdomen tollere solent. Bibendi cupiditatem gestibus patefaciunt maximaque omnino vexantur inquietudine.

d) Citra annum aetatis secundum. Dentitio, nutrimenta non apta aliaque anamnestica.

Hydrocephalus acutus.

a) Alvus continuo obstructa; abdomen reductum.

b) Motus respiratorii inaequales; respiratio superficialis, tarda; in stadio oppressionis cerebrali mydriasis adest pulsusque justo rarior.

Cervical infans capite terebrat.

c) Capitis temulentia completa permanet sensimque incrementum capit; aegrotulus sui haud conscius ad caput movet manus, nihil appetit, et stupide deglutit quaecunque ei porriguntur, vel in ore ponuntur. Puer paullum situm mutat neque portari vult.

d) Hydrocephalus acutus pueros invadit annorum trium et majores etiam.

LITTERATURA.

J. Abercrombie, Pathol. Untersuch. üb. d. Krankh. des Magens u. s. w. A. d. Engl. Brem. 1830. S. 15—67.

J. Annesley in N. Samml. auserl. Abh. Bd. XI. St. 4. S. 551—622.

Andral, Clinique médicale. Maladies de l'abdomen. T. IV.

Schönlein, Vorlesungen.

Stokes, Ueber d. Heilung inn. Krankh. Deutsch v. Behrend. Leipz. 1839.

J. Frank, Praecepta etc. P. III. Vol. I. Sect. II.

Parker, The stomach in its morbid states etc. Lond.

Schmidt's Jahrbücher. Bd. XXV.

Padioleau, Traité de la gastride. Nantes 1842.

Siebert in Casper's Wochenschrift 1842. No. 29.

Canstatt in Schmidt's Encyclopaedie. Bd. IV. S. 482.

Laisné, Consid. médico-leg. sur les érosions et les perforations spont. de l'estomac. Par. 1819.

S. G. Vogel, Handbuch zur Kenntnifs u. Heil d. Blutfl.

Ph. Pinel, v. d. Blutflüssen im Allgem., dem Blutbrechen und Blutspeien, a. d. Franz.

G. Burrows in Library of Med. Vol. V. p. 35.

D. W. Triller, D. de fame lethali ex callosa oris ventriculi angustia. Wittenb. 1750.

Germain, sur les causes et le diagnostic du squirrhe du pylore. Par. 1817.

Krieg in Casper's Wochensch. 1843. No. 2.
W. C. Kupfer, D. de dissolut. morb. membranar. tract. intestinor. Dorpat. 1826.
Romberg in Casper's Wochenschr. 1837. No. 30.
Rokitansky, Bd. III.
Eisenmann, die Krankheitsfamilie Pyra. Erlangen 1834. Bd. II.
C. F. Plattner, De Gastromalacia. Berol. 1826.
Claſs, D. de Cardialgiae natura et med. Hal. 1790.
A. F. Fischer, Ueber die Erkennung und Heilung der Krankh. d. Magens etc. Nürnb. 1830.
Monneret, Compend. etc. T. IV. p. 256.
Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten. Bd. I.
Dalmas, Analecten üb. chron. Krankh. Bd. I.
Albers, Beobachtungen auf d. Gebiete der Pathol. und path. Anat. Bonn 1840.

VITA.

Anno hujus saeculi XXII ego, Jacobus Cohn, Rigae, Livoniae oppido, patre Israël, quem praematura morte ereptum lugeo, et matre Johanna e gente Jacobsohn natus sum. Veteri addictus sum fidei. Litterarum in elementis addiscendis praeceptore mihi semper venerando Petersen usus sum. Deinde per annos sex gymnasium Rigense, quod directore Cl. Napiersky floret, frequentavi, testimoniumque maturitatis adeptus verno tempore anni MDCCCXLIII almam universitatem Berolinensem petii, inter cujus cives a rectore magnifico Ill. de Raumer receptus, apud Ill. Mueller, gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, nomen sum professus.

Scholae et philosophicae et medicae, quas audivi, hae sunt:

1. Philosophicae:

de botanice Ill. Schultz;

de physice Ill. Dove;

de mineralogia Ill. Weifs;
de zoologia Ill. Lichtenstein;
de logice Cel. Michelet;
de psychologia Beat. Steffens;
de chemia experimentali anorganica et phytochemia zoochemiaque Ill. Mitscherlich sen.

2. Medicae.

de encyclopaedia et methodologia medica Ill. Hecker;
de anatomia Ill. Mueller;
de physiologia tam generali quam speciali Ill. Mueller;
de pathologia et therapia generali Ill. Hecker;
de materia medica Ill. Mitscherlich jun.;
de pathologia et therapia speciali Ill. Horn;
de chirurgia generali et speciali Ill. Juengken;
de arte obstetricia Ill. Busch;
de pathologia et therapia morborum psychicorum Ill. Horn.

In exercitationibus practicis mihi duces fuere:
in arte cadavera dissecandi Ill. Mueller et Schlemm;
in policlinico Cel. Truestedt et Ill. Romberg;
in clinico pathologico et therapeutico Ill. Schoenlein et Cel. Wolff;
in clinico chirurgico et ophthalmiatrico Ill. Juengken;
in clinico obstetricio Ill. Busch.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias ago semperque habebo, quas possum, maximas.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, examineque rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

1. Femina non concipit nisi inter menstruationem aut paullo post.
2. Methodus antiphlogistica in morbis syphiliticis curandis mercurio haud semper anteponenda.
3. Endosmosis et exosmosis resorptionem non explicant.
4. Chlorosin saepius Hymen quam Mars vincit.